



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1658**

§. 65. Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem. v. 23.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45556**

§. 65. Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem. v. 23.

Postquam Annas curiosius interrogasset Dominum, de doctrina, de discipulis vel venenato animo ad decipiendum (si quomodo potuisset capere in verbo aliquo, vel facto) & nihil invenisset vitij in Christo, iniuria & alapa accepta coram se (de quo facto forsitan si malus fuit illi male interpretavit) vel certe visa Domini innocentia & iniusta alapa, & prudentissima defensione Domini, terrius misit eum ad Caipham, qui tum erat Sacerdotum Princeps, totius Iudaici populi pessima pars, utpote intrusus, ad cuius officium iure divino spectabat censere de fide, de hæreticis, de dogmatibus novis, ut is, tanquam astutior se, posset adversus Iesum aliquid mortis dignum invenire, utpote qui dixerat in concilio *expedit, ut vnus homo moriatur pro populo*. Vel certe ut se eo modo Annas ex periculoso illo negotio & odiorum pleno extricaret, Deus novit. Sed quid est quod dicitur ligatum misisse? an ligatus non erat in horto, & sic per viam ductus? Vtique an forte coram Anna ligamenta erant soluta? ita suspicor. & sic iterum est innotatus, cum ad aliud tribunal est ablegatus.

Sequere nunc, ô anima mea, sponsum tuum: qui ut te sibi sponsam desponderet, omnem hunc laborem & cruciatum perpeffus est, neque enim diu tecum permansurus est. En traditur iam in manus hostium suorum crudelium, & sanguinem eius siccantium Iudæorum, qui non cessabunt, donec eum crucis patibulo affigant. Hoc ultimum est instans vitæ, Domini Iesu civilis inter homines & liberæ: deinceps enim Iesus ut civiliter mortuus sub potestate tenebrarum erit. O Iesu captivas, sis mea libertas simul & captivatio sub potenti manu tua.

§. 66. Erat autem Simon Petrus stans & calefaciens se. v. 25.

Secutus erat Iesum Petrus ex aula Annæ ad aulam Pontificis Caiphæ: ut videre posset finem de Iesu, in ea vidit focum illuminatum, accessit ad eum stans timore plenus, ne & ipse caperetur, & à longe calefaciens se quia frigus erat naturaliter, & iam ipse algebat affectu, & ideo magis timebat & algebat conscientia læsa, nec audebat ignem terrenum tuto accedere, qui iam ignem cœlestem Deum suum, quem totus totaliter amare debebat, aliquantulum negarat; Hæc igitur fuit nova Petri tentatio, multo tamen maior & gravior priore, iam enim non ab inermi muliere sed à viris & militis & armatis, deniq; Pontificum servis tentabatur & proinde mirum non est, si peiorem quoque exitum habuit, quem prima.

Ego